

DE
ABERRATIONIBUS PHILOSOPHIÆ,
A SUMMIS PLERUMQUE INGENIIS
PROFECTIS.



SPECIMEN ACADEMICUM

Quod

Conf. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

FRANCISCO M. FRANZEN,

Hist. Litter. Professore, Reg. & Ord. atque Reg. Aead. Bibliothec.

PRO GRADU

Publico examini modeste offert

OLAVUS ULLBERG,

Angermannus.

In Audit. Majori die 25 Jun. A. MDCCC,

horis ante merid. solitis.

ABOÆ, typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo A.

DOMINO MAGISTRO

JON. CAR. GENBERG,

Pastori Ecclesiae in Arnes meritissimo.

PATRONO SUO OPTIMO

SACRAT.

O. U.



Proemium.

Spectaculum mentis humanæ, e barbarie egredientis, variisque factis circuitibus & anfractibus, fastigium sapientiæ, quod demum se occupasse gloriatur, adtingentis, & jucundissimum est, & homine dignissimum, se præcipue cognoscere debente. Sed est præterea unicuique utilissimum, qui litteris ac imprinis Philosophiæ studet. Inter præcipuos nempe fructus cultæ a te Historiæ Litterariæ hoc referas; si observans, quid & olim scire ac cogitare conati sint homines, limites definias, extra quos excurrentis ingenium humanum tenebrosis involvitur tricis: ex longis, laboriosisque erroribus nil aliud reportans, quam persuasionem, homines nihil certum scire.

In consideranda nempe humanæ sapientiæ progressionem non sine dolore observamus: illam saepe, acerrimis factis conatibus, veritatisque luculento culmine jam prope adtaeto, ad vanas inutilesque amplectendas vel *superstitionis popularis* vel *subtilitatis metaphysicæ* umbras, repente esse relapsam. De quibus philosophiæ aberrationibus, quæ a summis plerumque ingenii originem ducunt, ut breviter differeremus: temporis ratio, in quo vivimus, novæ sapientiæ studio ferventis, nos persuasit: non quidem immemores ad plenam & subtilem rei expositionem, nec spatum hujusmodi opellarum, nec facultatem juvenilis nostræ scientiæ sufficere; sed tamen sperantes, vel levissimam hanc adumbrationem non fore omnino inutilem, si lectorem, admonendo faltem, ad rem proprius a se examinandam, commovere possit.

§. 1.

Aberrare igitur intelligo philosophiam, cum a proxima & facillima flectitur via, quæ ad scientiam humano ingenio aptam & utilem dicit. Errorem igitur fuisse dicas jam primos ejus passus. Cum Poësi enim conjuncta in fingendis theogoniis & cosmogoniis initio occupabatur. Deinde, ab illa quidem separata, questiones tamen agitabat, quibus solvendis intellectus humanus vel maxime exultus non facile sufficit; quæque igitur ut solvantur, hominum interesse non videtur. Qualia sunt problemata de formatione mundi, de primis ejus elementis, de natura dæmonum, & cetera similia. De quibus rebus, quam vana placuerint philosophis Jonicis, Eleaticis, Pythagoreis somnia: aliis vel ex ovo, quod nox soverat, vel ex aqua, vel ex igne, vel ex atomis æternis, vel ex numeris, mundum formantibus, animam vero humanam vel ætheris vel ignis particulam, vel vaporem esse fabulantibus, variisque alias conjecturas jactantibus: res est nemini ignota, qui vel vestibulum ingressus es Historie Litterarise.

Quamvis autem & incredibile & stultum esse videatur, homines, antequam vel moralia vitae præcepta fatis definierint, vel mechanicum rerum naturalium usum didicerint, divina & cœlestia explorare voluisse myteria: facile tamen & caussa hujus facti, & utilitas ejus, ad hominum mentem formandam valens, unicuique apparent. In considerandis nempe conatibus ingenii humani occupatos, hoc nos consolabitur, errores ipsos ad veritatem indirecta sepe duxisse via.

Caussa igitur maturæ hujus antiquissimorum Philosophorum in disquisitiones phyllico-metaphysicas intentionis, admiratio fuit universi, structuræ lue magnitudinem sensus eorum percutientis. quæ scilicet admiratio ad explorandum, unde haec orta sit machina, proxime ducebat. Dei vero creatoris notio tam est sublimis & abstracta, ut ad illam se mox extollere animus mortalium haud valeret. Tamdiu tamen in construendo ex variis

variis elementis variisque modis universo pueriliter ludebat: donec grandem illam inveniret ideam mentis sapientissimæ & potentissimæ, quæ artificium mundi, ingeniosissime excogitatum, perfectissime esset: ita scilicet progrediente philosophia, ut, hypothesis absurdissimis primum seducta, in altissimam, verissimam & utilissimam, quam humana ratio unquam formare posset notionem, tandem incideret.

§. 2.

Cujus theorie, vel Anaxagoræ, vel magistro ejus Hermotimo debite, Socrates deinde practicum fecit usum: Theologiam istam sublimem ad novam doctrinam ita applicans, ut ostenderet, sapientissimum illum & potentissimum artificem pulcherrimæ rerum naturæ, optimum simul esse & justissimum humani generis legislatorem & gubernatorem, qui ad felicitatem virtute in terra quærendam, perfectam autem in vita futura sperandam, hominem, & ratione & sensibus ornatum, destinaverit. Qua igitur doctrina summa omnis philosophie humanæ continebatur. De cuius quidem fundamentis postea acerrime certatum est, hodieque certatur, ac olim forte certabitur. Cujus tamen asserta, talem & veritatis & utilitatis speciem præ se ferunt, ut quisque sanæ compos mentis ea mox intelligat approbetque, & quisque prabus iis conleuenter vivere studeat.

Jure quidem neges, in orbe litterario melius quam in politico consultam esse rem, quæ & nuper agitata est, de æterna efficienda pace; quæ neque existet unquam, neque si existeret, utilis foret. Nam & nimis diversa sunt hominum ingenia, quam ut plene consentire possint, nisi omnino torpescant; & torpescerent certe, nisi pugna sententiarum animos disjungeret & agitaret. Primas tamen lineas rerum, humana cognitione describendarum, ita definitissima philosophia ista Anaxagoreo-Socratica nobis videtur: ut si in illis depingendis

(coloribus nempe e naturæ inexhausto penu conquistis) posterior philosophia potius fuisse occupata, quam in novis fingendis metaphysicæ chimæris: citius forte perfectum fuisse opus humanæ sapientiæ, speremus: in animo felicet hominis rationalis & liberi imaginem auctoris harmoniæ, in universo eluentis, ostensuræ.

Cum nempe rerum creatarum consideratio ideam divinum in hominum mente informasset: nihil fane erat magis idoneum, quam ut artificium diligenter examinarent, antequam artificis naturam & consilia occultissima explorare frustra conarentur; atque ut terrestris orbis, in quo versabantur, innumeras & maximas admirandas res sensibus eorum ubique oblatas, cum cognoscere tum adhibere sunderent, antequam in cœlestes evolare regiones, nubesque Ixioneas amplecti, stulti laborarent. Deinde cum idem naturæ adspectus, qui sapientiam auctoris prodiderit, etiam bonitatem ejus ostenderet, consilium suum homines felices reddendi in omni re creata manifestantis: quid facilius esse debuit? quam mox intelligere: se felicitate isto, modo & ordine, quem natura & ratio praescribunt, adhibito, temperanter & juste, hoc est honeste, (quod scilicet Socrates docuerat,) sibi debere, potius quam de verbo honesti certare; humanamque naturam, cum sensuum tum rationis participem, neque ad bestiarum neque ad dæmonum societatem esse intrudendam.

Denique cum in solvendis questionibus philosophicæ & theoreticis & practicis observationem haud difficilem occurre oporteret: mentem humanam nec sine sensuum ministerio, qui materiam colligant, nec sine rationis imperio, quæ eam ordinet, in rebus cognoscendis aliquid praestare posse: expetandum erat, ut ad provinciam accurate definiendam viresque diligenter acuendas cum sensualis, tum rationalis facultatis, potius sele applicarent philosophi, quam vel unius solum adhibere viam, altera rejecta, vel omnem destruere cognitionis humanæ veritatem, & tota sublata rerum natura, id effice-

efficere tentarent, ut mens humana non nisi vanorum phantasmatum ludibrium haberetur.

§. 3.

Sed quamvis hæc philosophandi via & proxime patere videatur, & a Socrate satis distincte esset indicata: primos tamen & præcipuos ejus discipulos, si Xenophontem excipias pulcherrimum disciplinæ Socraticæ exemplum, ab eo aberrasse & eo longius aberrasse, quo grandiori vel acutiori excellenter ingenio, non sine dolore quodam videamus. Tantum nempe est in hominum ingenio novitatis studium, ut ejus captandæ gratia & verum & justum & pulchrum sæpe corruptant. Quin ipsius virtutis forma mutanda est, ut, vestis instar bimineæ, novitate placeat. Quam nimis cum Socrates & gratiis humanissimis ornatam, & rationi acceptissimam fixisset: proximi ejus successores, unus in voluptatis luxuriosæ speciem, alter in rigidæ immanitatis agrestem figuram, utrinque in extrema decurrentes, mutarunt. Aristippum loquor & Antisthenem, homines & animo & moribus quam maxime sibi contrarios: quorum ingenia, vasorum instar dissimili fuso tintorum, quæ vinum excellentissimum diversè corruptunt, calocagathiam Socraticam ita depravaverunt: ut ille pulchritudinis studium, quam veluti externam virtutis speciem Socrates commendaverat, in sensuum titillationem converteret, voluptariæ disciplinæ auctor; hic autem moderationem vel sophrosynen, quam cum iustitia perfectam constituere humanitatem Socrates docuerat, præter modum extensam, in feritatem usque traduceret, Cynicorum philosophorum parens.

Quæ igitur desilio virorum, ingenii egregia, eti diverfa, laude insignium, hæc fuit principium pertinacissimæ, inter Stoicos & Epicureos agitatæ, atque etiam hodie rénovata: quæ, summis licet & innumeris cum sagacitatis tum doctrinæ laboribus explicata, an aliter tamen dirimi poslit, quam

revertendo utrinque ab extremis ad medium locum, in quo Socrates virtutem & felicitatem connexam, homini æque sensibili ac rationali, natura ducente, querendam, collocaverat: dijudicandi potestatem sagacioribus relinquimus (*). Minus tamen dannosa hæc philosophie moralis aberratio erat, quam primo adspexit videatur. Nam eis indubium sit, & Epicuri & Zenonis de virtute doctrinam in nores civium magnam exseruisse vim: ita tamen manifesta est honesti ac turpis differentia, ut præ ejus ignorantia homines raro peccent. Qui igitur in definiendo honesto maxime discrepant, eos in illo eligendo proxime consentire sæpe videmus. Et Stoicorum & Epicureorum disciplina in Romana gente acerrimos invenit propugnatores; sed quanvis illa præcipue cum forti ejus & aspero animo congrueret: hæc tamen inter caussas fuisse, quæ mores ejus corrumperet, vix dici potest: erant enim plerumque Epicurei virtutis exercenda eo magis studiosi, quo suspicior Theoria eorum civibus yideretur.

§. 4.

Multo autem periculosior erat declinatio philosophie theoreticæ, ab excellentissimis profecta ingenii, duorum præcipue virorum, qui summi inter philosophos Græcos nominis fuerant, atque deinde, non Romanorum tantum animis, luxu, vitiis & superstitione fiadis & corruptis, sed surgentibus etiam e barbarie novarum gentium ingenii, auctoritate, tyrannidis simili, inter se divisa per plurima secula dominati sunt: Platonis dico & Aristotelis. Quorum ille grandes & sublimes fingendo hypotheses, hic vero formas rerum, menti impres-

(*) Doctrinam morum Socraticam cum Kantiana ita posse conciliari, ut hæc formam, illa vero materiam honesti constituant: existimamus. Quam vero sententiam explicandi hic non est locus.

impressas humanæ, in latibulis ejus diligenter scrutando, acutissimeque scindendo, & subtilissime definiendo, philosophiæ novos aperuit campos: ubi, dum illa expatriaretur, multos quidem detegebatur claros & amplos adspicetus, sed in errores etiam facile inducta tenetrisque circumdata, vel phantasmata persequebatur, vel tristis se irretiebat.

Celeriter igitur ad res extra hominum vitam & captum positas contemplandas philosophia revertebatur, quam Socrates e cœlo deduxerat. Præcipuus nempe ejus discipulus, Plato, magistri sui sobriam philosophandi rationem haud servans, sed animi sui non magis subtili quam poëticæ vi indulgens, argutiis ingenii & segmentis phantasiæ exegitandis & ornandis potius quam judicii acumine ad diligenter rerum experientiam applicando, philosophiam persequi suadit.

Minime quidem magni hujus nomina gloriam obsecrare intendimus: vanislimum id foret conamen, communemquoniam opinionem. Non sane possumus, quin sublimitatem ingenii Platonici, vel e sphæra mortalium disparentis, vehementer admirerur. Fateri tamen nos oportet, illas ipsas hypotheses, quarum ingeniosissima excogitatio totam philosophiæ suæ fabricam constituit, de dæmonibus naturæ munera disponentibus, de animo humano olim eorum socio, de ideis innatis, foliis veritatis fontibus, de virtute, libertate & felicitate animali, disruptione corporei carceris obtinenda, & quæ ceteræ sunt, nec principiis humani cognitionis unquam posse firmari, & facillimam aperuisse viam ad errores fanaticos, turpisimumque philosophiæ abusum. Quis scilicet ignorat, quanta fuerit saeculo secundo post Christum exorta humani intellectus perturbatio: a philosophis effecta Neoplatonicis, qui hypothefibus istis Platonis miseram inseverant superstitionem: e Theologica & Phytica ejus doctrina Theurgiam & magiam, e morali autem disciplina præcepta, quæ & naturæ humanæ contraria & civitati noxia essent, facili derivantes via? Cum quas puria platonica philosophiæ filia, Alexandriæ nata, novus

Pytha-

Pythagoreismus se consociabat: alius philosophiae error, a summo oriundus ingenio. Ex abstrusa scilicet de monade, dyadem definiante, Pythagoræ doctrina, (quæ forte, si recte explicetur, cum ianissima nostra de ratione, materiam formante, sententia facile concilietur), tups & absurdâ exorta erat superstitionis, quæ numerorum mystica vi, & arcana naturæ explorare, & miracula efficere se posse jaftabat. Cujus coryphaeum Apollonij Tyaneum nominasse sufficiat: ut harmonia intelligatur, quæ novorum Pythagoræorum vertiginem cum somniis Neoplatonicis conjunxit.

Longum foret ac inutile, & ridicula & miseranda enumerare perversæ hujus, e duplice delirio conflatae, philosophiae asserta, quibus non plebs modo, sed optimates etiam, principes ac eruditi, assentum præbuere: persuadentes sibi v. c. se posse, adhibitis obscuris verborum peregrinorum, maxime Ægyptiacorum formulis, spirituum commercio & auxilio uti, atque e corpore, jejunis & plagis cruciato, ad divinam resurgere lucem. Vix crederemus, tempore jam Antoninorum, infelicem hanc mentis pestem, per totum orbem Romanum, qui tamen litterarum luce adhuc erat præclare collistratus, se disperisse: nisi recentissimum tempus idem renovasset phænomenon. Digna fortassis foret, quæ proprius consideretur, comparatio errorum fanaticorum, in quibus aureum Antoninorum sæculum cum nostro, non minus splendenti, mire congruere videtur: si illam instituere tempus & consilium nobis permitterent, Cagliostrum v. c. cum Apollonio, Daemonologiam Svedenborgianam cum Neoplatonica, statuarumque miraculosa creditas vires cum celebratis magnetismi animalis portentis collaturis.

Quæ igitur philosophiae corruptio deinde non modo in tenebris mediæ ævi fortiter invaluit, sed renascente etiam luce, egregios litterarum restauratores, Marsilium Ficinum, Joh. Picum, Reuchlinum ceterosque contagione sua attingebat: sæculis autem 16 & 17 artes renovabat Theurgicas & ma-

& magicas, a Theosophis & Alchemistis, quorum princeps erat famosus ille Theophrastus Paracelsus, exercitas; atque vel hodie non ita dispiciunt, quin paucim in systematibus philosophorum vestigia ejus observentur.

§. 5.

Altera autem præcipua philosophiae antiquæ aberratio, quæ eodem tempore parique passu, sed alia via, animos hominum seducebat, non minori quamvis dissimili ingenio, quam quo Plato eminebat, originem suam debet. Perturbationis nempe metaphysicæ, qua philosophi Scholastici progressum ingenii humani per plurima saecula impediabant, in gyro quæstionum alstrusatum & satilium illud circumgentes, principium ab Aristotele esse derivandum, subtilissimo & acutissimo omnium philosophorum: aequè constat, ac indubium est: merita ejus de toto fere scientiarum cyclo esse immortalia; atque illud ipsum cogitationis humanæ organon, quo maxime abusi sunt perversi ejus imitatores, ita feliciter ab eo esse inventum, ut illud totum mutare ne novissimus quidem & audacissimus philosophiae conversor Kantius tentaverit. Per omnem autem philosophiae Scholasticae silvam, obscuram illam tricarumque plenisimam Lectorem ducere, ut monstrorum ejus e germinibus Aristotelicis ortum ostendamus, eo minus attinet, quo notior est res, aptiorque ad fastidium animi cujusque liberalis movendum.

§. 6.

Erumpentis demum ex angustiis hisce tenebris ingenii humani libertatem, cum litterarum elegantiorum studium veterumque auctorum Græcorum & Latinorum lectio, tum empirica philosophandi ratio, a Bacone feliciter commendata, restituerant. Ita tamen in examinanda rerum, quæ sensus movebant, natura, colligendaque materia cognitionis, illud sibi

haud placebat, ut non rursus ad nova construenda systemata, quæ sine terrestri fundamento in cœlum usque surgerent, temere properaret. Quæ recentioris philosophiæ repentina aberratio, quanti adscribenda est ingenii conatu! Quis ingenitem & excellam Cartesii mentem non admiretur: qui abjecta omni rerum antea cogitatarum notitia, e primo cogitandi principio, conscientia sc. & evidentia cognitionis suæ, omnem & cœlestium & terrestrium rerum rationem, veritatem & nexus evolvere audacissime instituebat! Quam igitur phantaliæ suæ fabricam, aëriam quidem sed grandem & splendidam, ad stupentes, ad indulgendum quidem audaciæ tam sublimis ingeniæ facile movemur; errores tamen turpes & noxios, ex hypothefibus ejus natos, non sine indignatione recordamur. Egoismus ille philosophicus, Bekkerianismus, Fanatismus, Spinozismus, Idealismus, ac quæ cetera sunt nomina monstrorum, philosophiæ nomen præ se ferentium, e Schola prodierunt Cartesiana. Quorum unicum tantum, doctrinam nempe de miraculo & immediato Dei & spirituum cum animis hominum commercio, a fanatico sed subtilissimo Poireto ex principiis philosophiæ Cartesianæ acutissime vindicatam, digito monstrasse sufficiat: ut appareat, quibus erroribus summa ingenia, si nimio extra circum humanæ sapientiæ excurrendi studio indulgent, periculolas aperiant vias.

§. 7.

Paucis derique illustrissimi, quod jam exit sœculi, philosophiam attingamus: qua, ut in eodem fere, ac antiqua Græca, versata est circulo, sic declinationes suas, non minus quam illa, a conatibus derivat summorum virorum: qui in ultima inquirenda humanæ cognitionis principia subtilissimam mentis acerrime intenderunt.

Quatuor præcipue sunt viæ: in quibus cum altissima ac splendidissima, tum etiam nubibus densissimis facillime obvoluta

Iuta adscendit juga: quarum unam *idealem*, alteram *sensualem*, tertiam *scepticam*, quartam *criticam* appellare mihi licet.

Idealis philosophiae error, ut olim a *Platonis*, sic recentius a *Leibnitii* sublimi phantasia originem dicit. Uterque nempe, cum & fallaciam & inconstanter & mancum admodum atque non nisi singularem esse rerum cognitionem, quæ sensuum ope adquiritur, sentirent, idæas menti humanæ insitas sola esse veritatis germina contendebant. Leibnitius autem, loco fictionis Platonicæ de animi humani ante ortem terrestrem inter dæmones vita, celeberrimam de harmonia mentis & corporis præstabilita, omniumque rerum e monadibus simplicissimæ naturæ, triplicis vero generis, formatione, hypothesin substituit, ut originem idearum universalium & necessariarum, quas ultima & unice vera habuit principia humanæ scientiæ, probabilem redderet. Qui novus Platonismus, quamvis eandem intellectus humani perturbationem ac antiquus ille, in superstitionem turpisimam mutatus, cavente id facili nostri genio, non genuerit: ea tamen cognitionis fundamenta constituit, ut si in illis philosophi fletissent, ipsi sibi consentanei, omnem abjecissent sensuum experientiam & naturæ scrutationem: quibus tamen præsertim, præclaram, qua ævum nostrum eminet, lucem deberi, ne Scholastici quidem recentiores negare pergent.

§. 2.

Detrimentum vero, ab hac philosophiae declinatione ita timendum, si a natura rerum empirice examinanda hominum mentes averterit, altera de origine veritatis Theoria, Leibnitanæ coæva, eidem vero ex omni parte opposita, feliciter impedivit. Lockianam intelligo philosophiam, quæ simplices sensuum perceptiones omnis humanæ cognitionis unica esse principia statuit: universales autem rationes ex singularibus illis sensuum formis, mechanica quadam rationis ope, modifi-

cari afferuit. Quæ philosophia, quamvis duabus egregiis inter ceteras emineat laudibus; una quod sit plurimorum intellectui facillime probabilis, altera quod applicatio ejus ad scientias empirice tractandas facta, & naturæ cognitionem, & artium perfectionem, generisque humani culturam, novissimo saeculo egregie omnino auxerit: infirmitatis tamen cujusdam, e minus subtili & solida systematis structura oriundæ, non hodie demum ab adversariis accusata est: qui scilicet contenderunt, summas & gravissimas humanæ mentis notiones in Theoria Lockiana isto carere necessitatis & universalitatis fundamento, quo sublatio, & veritatis & virtutis ædificia vacillent & ruant, necesse est. (°) De qua quidem re non disputabimus: varia philosophorum systemata nec conveltere nec firmare conantes, manifestos tantum errores, vel e præclarissimis enatos, indicantes. Dolemus autem, Lockii etiam popularem philosophiam, non modo in esoterico Metaphysicæ sacrario subtiliores mentes, unam in materialismum, alteram in idealismum, tertiam autem in scepticismum induisse; sed in exoterico etiam vulgi vestibulo opinionibus maxime pericolosis januam aperuisse. Quales sunt de naturæ pantheismo, de animi humani nec liberi nec immortalis mere physica fabrica, de voluptate sensuali, honestum constituentे, ceteraque cum ad deismum tum ad atheismum ducentes sententiæ: quæ Gallorum præcipue Epicureorum elegantibus scriptis dispersæ, & virtuti & religioni non parum adulere damni. Illas vero Lockiana Theoria esse fundatas, ut multis demonstremus, nec tempus tinit, nec id necessarium ducimus: cum in cujusque oculos statim cadat, philosophiam, quæ rationalem hominis facultatem a sensuali definitis non separat.

(°) Vide Dissertationem subtilissimam & eruditissimam. "Om Anledning, Husvudinnehållet och de sedan Framstegen och Förbättringarna af den Critiska Philosofien," in ephemeridibus Litterariis (Literatur-Tidning), a G. A. Silverstolpe editis, occurrentem.

rat limitibus, in materialismum facile aberrare. Videtur igitur Lockius, plurimas quidem Theorie sua sequelas non suscipitus, ipse tamen sibi consentaneus, usque eo procedere, ut libertatem mentis humanæ tollat, mechanismo quodam psychologico eam subjiciens: unde ceteri de morali hominis natura errores facile sunt oriundi.

§. 9.

Gravissimum autem & sibi & omni philosophiæ Lockianismus peperit hostem in *Scepticismo*: quem tertiani huius philosophiæ in hoc seculo aberrationem, jam indicavimus. Illi nempe hunc esse initum, Huiusque hujus auctorem Lockio ita consentire, ut cum eo omnes humanae mentis ideas e simplicibus perceptionibus esse compositas contendat, haec autem ipsa cognitionis elementa nil praeter nudas esse magines affractat, cum nexus rerum ipsarum cum ideis nostris nunquam probari possit: cuique facile apparebit, qui progressum philosophiæ recentioris attenta persequatur mente.

Quæ dubitatio, subtilissimis confirmata argumentis, et si, omni sublata cognitionis nostræ certitudine, præcipua & virtutis & religionis fulra se convulsuram minaretur: minus tamen alacriter eam oppugnare philosophi recentiores studuere, a severioris metaphysicæ studio ad popularem & ecclæsticam philosophandi rationem abrepti: donec *Critica philosophiæ auditor* surgeret, ut vaferrium hunc veritatis hostem, populari invincibilem rationi, scholasticis debellaret armis.

§. 10.

Professa autem est novissima haec philosophia, se non Scepticismum modo, sed etiam Dogmatismum, cum rationalem tum empiricum, Crisis iuæ transcendentalis vi penitus esse eversuram, politisque novis firmissimisque veritatis fundamentis templum esse erecturam, ubi ratio humana e sui conscientia,

tia, cum physicarum tum moralium rerum æternas evolveret leges, omnem nostram & mundi sensibilis & animi humani & divini numinis cognitionem ita definitiæ, ut intricatae omnes de istis quæstionibus philosophorum lites in perpetuum essent solutæ, paxque æterna orbem metaphysicum pulcherrime illustraret. (e)

Quibus promissis an satisfecerit: non est apud nos, nec hujus temporis judicandi potestas. Omnes autem videntur, pacem illam universam ac perpetuan, in orbe philosophorum efficiendam, ita parum adhuc esse conciliatam, ut ipsi heroes Kantianæ philosophiae inter se de primo ejus principio, definitione scilicet objecti omnis humanæ cognitionis, (*das Ding an sich est verbum litis*), acerrime & perturbatislime in tenebris pugnant sequi invicem male intellectæ Kantii sententiæ accusent. (oo) An vero

(o) "Bis auf die Erscheinung des Systems eines einzigen Mannes, das nun für die Ewigkeit gilt, haben nicht nur alle denkende Köpfe die principien der prächtischen Wahrheit vergebens gesucht; sondern in dem System dieses einzigen Mannes gilt auch nicht eine einzige irrite Behauptung." Hæc sunt verba Beckii, præcipui Kantianæ Philosophiae interpretis. Vide prefamen ad commentarium suum metaphysicæ Morum Kantii. Cfr. Götting. Anzeigen 1798, St. 179.

(oo) "Kein einziger unter Kants zahlreichen Nachfolgern hat bemerkt, wovon eigentlich geredet werde. Kant ist bis jetzt ein verschlossenes Buch, und was man aus ihm herausgelesen hat, ist gerade dasjenige was in ihm nicht passt, und was er wiederlegen wollte. Sic Fichtius arget in Philosophicis suis Ephemeridibus. Vid. Algem. Liter. Zeitung 1798, N:o 9, p. 67. Beckius autem, cuius interpretationem sententiæ sua Kantius ipse verisimiliter esse declaravit, contendit; & Reinholdium, (quem præcipuum Criticæ philosophiae post ipsum antorem decus & lumen olim habuerunt, qui autem deinde totam suam philosophandi rationem erroneam fuisse, ingenuè confessus est, Fichtii egoismum rationalem, si ita loqui licet, unicum esse veræ philosophiae fundamentum affirmans), hunc ipsum, & non intellectile, quid præcipue philosophia ista transcendentalis intenderet. V. Göt. Anz. 1798 l. c. p. 1778. Omnibus præterea, qui politicas le-

vero inter errores philosophiae, a summorum ingeniorum subtilissima intentione oriundos, Idealismus, Atheismus, Egoismus Critici, de quibus hodie loquuntur, jam referendi sint: id dijudicare temere non properremus. Cum tamen mentium juvenilium, per scholasticum terminorum labyrinthum perturbatim actarum, eoque gyro ab omni alia utili cognitione abreptarum, confusio quasi epidemica notissimus sit crisis hujus philosophicæ effectus, quem etiam defensores Kantianismi equiores ingenue fatentur & dolent: non injuria nobis videatur Kantii quoque subtilissimum & acutissimum ingenium ejusdem accusare culpæ, ac cetera splendidissima philoiphite lumina: quæ, oculos fascinando turbe imitatorum, in devia illam ledixerunt nec exspectata præcipitia.

§. 11.

Levisimam hanc delineationem præcipuarum philosophicæ aberrationum, a summis profectarum ingeniis, ne caussatum inquisitione illustremus, variisque depingamus exemplorum & animadversionum coloribus, opellæ hujus cancelli nos prohibent. Ne autem eo crimine gravemur, quod laudes immortales cum summorum philosophorum, tum ipsius philosophicæ detrahere conati simus: duas addemus observationes, quæ, speramus, ita nos exuent culpa. Primum igitur & ex historiæ testimonio & ex psychologicis rationibus esse probatum, existimamus: aciem mentis humanae, similiter ac oculorum, quo vehementius intenditur ad res longissime remotas acerrime perspectandas, eo facilius perturbari: tamdui nempe fatigatam, donec in falsa requiescat imagine. Egregie dicit Poëta noster immortalis Kellgren in carmine suo præclaro de ingenio-

gunt ephemrides, Hamburi editas (Hamburger Correspondent), declarationes notæ sunt, a Kantio & Fichtio contra se invictæ factæ.

geniorum insanias (²): quo altior est mons, in quam ingenium adscendit, eo profundius esse sub eo præcipitum; quam ob rem, Cicerone observante, nullum fere unquam magnum ingenium fuit sine aliqua mixtura dementiae. Quod quidem non in philosophia tantum, sed etiam in poësi observare licet: excentrica enim fere sunt magna ingenia, Ariosti v. c. Shakespearii, Miltonis, Klopstockii ceterorumque summorum poëtarum. Quare illi ipsi viri, qui litteras & artes ad summum evexere fastigium, eas simul in periculum imminentem præcipitis ruinæ induxere. In qua tamen re animadverendum est, culpam corruptionis & perturbationis, cum poësia philosophie, auctoribus ipsis summi ordinis non tam esse attribuendam, ut non potius in affectus & imitatores eorum præcipue sit devolvenda.

Deinde, tristiorum quidem exponere videamus philosophie picturam, non modo in intricatas saepe ac futilem disquisitiones sese implicantis, & in umbrarum inanum lectationes declinantis, sed omni etiam tempore in eodem fere circulo versantis, iisdem occupatae questionibus, in eosdem relabentis errores. Neque diffitemur, consilium nostrum fuisse, ut ostenderemus recentioris philosophiae progrediendi rationem eandem fuisse ac antiquæ. Utraque nempe ab hypothesisib⁹ Physico-Metaphysicis, hæc ducibus Thalete & Xenophane, illa Cartesio & Spinoza, egredda est: utraque in bivium incidebat, ubi vel rationalem Platonis ac Leibnitii, vel empiricam Democriti & Lockii viam sequeretur: utramque deinde in utriusque viis Scepticismus Pyrrhonis & Humii offendebat: quem ut effugerent, per eclecticismum & syncretismum vagabantur, unde postea, Aristotelis & Kantii auctoritate reductæ, in scholasticam errarunt silvam: ubi, definitis a summis ingeniosis semitis, ultima omnium rerum principia, demum erant affectutæ,

(²) Man äger ej sialle för det man är galen.

turæ, in tenebrosum autem distractæ sunt terminorum insum.
 Qua tamen expositione conatum metaphysicorum, Historiæ
 Litterariæ testimonio sufficienter probata, vel dignitatem de-
 primere Philosophiæ, sublimis omnino scientiæ, omniumque
 summæ, quippe quæ principia & veri & boni & pulchri con-
 stitueret studeat, vel progressum ejus cum Græcarum littera-
 rum aureo ævo, tum nostro imprimis saeculo factum negare
 haud vellimus. Quamvis nempe sepe erraverit, & sepe sit
 in vestigia sua reversa, procescit tamen, circulari quadam
 ratione: erroribus ipsis eam promoventibus, & reversione no-
 vam & meliorem detegente viam.

Læti igitur speramus, novissimam quoque philosophiæ aber-
 rationem, si hoc nomine fervorem Metaphysicum, quo Kantii,
 Fichtii, Reinholdii meditationes orbem implevere litterarium,
 appellare jam liceat, humano ingenio haud inutilem fore:
 quippe quam novos ei aperuisse rerum adspectus, æquus quis-
 que haud denegabit. Atque si vel illis concedamus, qui con-
 tendunt, Kantianismum ad destruendum magis, quam ad ædi-
 ficandum esse aptum: non tamen dubitamus, quin philosophi-
 cus ille Germanorum fanaticus, æque ac politicus Gallo-
 rum, ipsa sua vastatione humano generi beneficus olim fiat:
 divina sc. providentia mundum moralem non fecus ac physi-
 cum turbinibus & procellis animante & restaurante.

